



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Amor solitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

studijs habuit progressus , vt breui & post se  
relinqueret æquales , & reliquos , qui ætate  
scientiaque præcellebant , aſſequeretur . Vel  
semel rem aliquam audiuiffe , vel legisse , vt  
eam memoriam retineret , retentamque me-  
moriter pronuntiaret , id scilicet satis Ioanni  
erat ; ita in memoriâ eius vel leuiter lecta au-  
ditaque infidebant . Hanc ob rem cùm Ma-  
gistro tam esset charus , vt prodigijs instar eum  
ipſe celebraret , alijsque proponeret in exem-  
plum ; nonnumquam ita ab eo apud patrem  
est collaudatus , vt is gaudio perfusus , & Cle-  
rici veste Ioannem (quam diu ille optauerat)  
prætextæ instar honoraret , & in contuber-

*Quo contu-  
bernio al-  
tus.*

nium traderet D. Petro Emmerico Præmon-  
stratenſi Religioso , Tempi beatæ Virginis  
Diesthemij per id tempus Curioni , qui plures  
domi iuuenes erudiebat , cuius coniunctu Ioan-  
nes triennium deinde vſus est . Adeò se ad

*Obsequendi  
ſtudium.*

obsequium huius Religiosi fingebat , vt eum  
parentis loco veneraretur , eiusque lateri per-  
petuò affixus , vix ad parentis domum , etsi  
haud longè distatēm , niſi perrarò , digredere-

*Amor soli-  
tudinis.*

tur . Et verò iam tum , quantâ solitudinis dul-  
cedine caperetur , apparebat ; cùm & subinde  
colludentium collegarum circulis dexterè  
subduceret ſeſe , abderetque in Museum ad  
legendum aut orandum ; planè vt ſæpius  
Moderatores duxerint eum cubiculo extra-  
hendum

hendum in lusum , ne studio orationibusque  
crebrioribus mentem fatigaret. Neque ta-  
men sodales, quibus iucundissimus erat , si se-  
cum non luderet, offendebantur; quod & vir-  
tutem eius nossent , & ob sanctitatis studium  
abstinere eum lusu existimarent.

Attigerat vndeциimum ætatis annum, cum *Preparat*  
per occasionem Festi cuiusdam solemnis ver-*se ad pri-*  
*mam Com-*  
tentis, deliberare cœpit Ioannes de adeundâ, *munionem.*  
quâ huc usque abstinuerat, Synaxi sacrâ ; ha-  
bitaque diligenter in conscientiam quæstio-  
ne, ad Superiorem adit , rogatum ut peccata  
excipiat sua. Religiosus ille Curio non leuiter  
sensit columbinæ illius simplicitatis se can-  
dore excitari , præcipue quod id nemo alias  
contubernialium fecisset : auditaque confes-  
sione , innocentissimum purissimumque eius *Mentis in*  
animum reperit , ut testetur etiamnum vi-*Ioanne pri-*  
uus incolumisque, dum hæc scribo, dubitasse *ritas.*  
se tum, satisne suppeteret erratorum , quæ le-  
uem faltem materiem absoluendi præberent ;  
adeò hucusque se procul habuerat omni labe  
vitiorum. Quod verò deinceps ad extreum *Innocentia*  
usque vitæ diem seruarit intactam, puramque *baptismalis*  
omni mortali flagitio prætextam innocentia*seruata.*  
in Baptismo acceptæ, præterquam quod con-  
fessionum eius arbitri ( vti alibi dicetur) asse-  
uerent , ipse quoque testatum schedio scripto  
reliquit , in quod breuiter , gratitudinis ergo,

A 3                    collata